

Johann Cothmann   Hermannus Hindersman

**Disputatio Theologica De Ecclesia. Continens Explicationem duarum  
Quaestionum hoc tempore, quo Ecclesia valde premitur, cognitu utilium**


Rostochi[i]: Pedanus, 1630

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739716409>

Druck   Freier  Zugang



Verf.: H. Hinderstman  
J. Cothmann.  
R. U. theol. 1630.



Disputatio Theologica

DE

5  
33  
ECCLESIA.

Continens

Explicationem duarum Quæstionum hoc tem-  
pore, quo Ecclesia valde premitur,  
cognitu utilium.

in qua

Duce Ecclesia capite Christo,

PRÆSIDE

JOHANNE COTHMANNO,


S. S. Theologiæ Licentiatō & Profes-  
sore publico.

RESPONDEBIT

HERMANNUS HINDERSMAN

Osnabrug. Westph.

In Auditorio Majori 9. Octobr.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.  
ANNO M. DC. XXX.



Ephes. 5. v. 23. 25.

Ὁ θεὸς ἡγάπησε τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἑαυτὴν παρέδωκεν  
ὑπὲρ αὐτῆς.

ΠΡΟΛΟΓΙΟΝ.

**R**ecceptum & omnium verorum Christianorum calculo ac suffragio approbatum, Cypriano quod ascribitur, est apophthegma: *Non habet in caelis patrem, qui in terris Ecclesiam non habet matrem.* Cujus pronuntiati quis sensus sit, haut est obscurum; scil. extra Ecclesiam salutem æternam non esse quærendam. Ecclesia juxta Apostoli effatum, est Christi corpus *Ephes. 5. v. 23.* Et fundamentum aliud nemo constituere (jure) potest, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus, *1. Cor. 3. v. 11.* Si quis corpori huic mystico non agglutinatur, hic frustra salutem sibi promittit æternam. Quemadmodum enim palmes à semetipso fructum ferre nequit, nisi in vite permanferit: ita homines nisi in Christo ejusque corpore mystico perseveraverint, infrugiferi erunt, proindeque instar palmitis arefacti eijcientur foras, *Joh. 15. v. 2. & seqq.* Johova cataclysmum universalem ob peccata generis humani atrocissima immissurus, Noah ædificandi arcam mandatum dedit, extra illam omne animal in sicco vivens exspiravit. Modo haut dissimili, quicquid extra veræ Ecclesiæ arcam reperitur ab interitu æterno non liberatur. Oves extra ovile palantes luporum rapacitatem, aut canum rabiem, non effugiunt: ita homines extra Ecclesiæ septa errantes, Diaboli Leonis rugientis

A 2

astum

astum incurrunt. Hinc scriptura gentium extra Eccle-  
siæ pomeria degentium, conditionem describens ait:  
quod spem non habeant, *1. Theff. 4. v. 13.* utpote abaliena-  
ti à republ. Israelis, & extranei à testamentis promissio-  
nis *Ephes. 2. v. 12.* Hæc cum ita sint, maximas meritò gra-  
tias Deo ter Maximo ore dicimus, ac corde habemus,  
quòd in ipso Ecclesiæ sinu fovere nos: hætenus cle-  
mentissimè voluit. Ut verò occasionem crebrius hac  
de re meditando majorem habeamus, animus est, an-  
nuente Deo, Quæstiones quasdam scitu non solum ju-  
cundas & utiles, sed & necessarias de Ecclesia movere.  
Ut vero conatus noster in illius cedat honorem & glo-  
riam, qui Ecclesiam, non auro & argento sed proprio  
suo sanguine redemit, Spir. S. actionum nostrarum pia-  
rum promotorem Unicum submissè invocamus, ut gra-  
tia sua auxiliatrice, & favore adesse nobis dignetur,  
Amen.

*Quæstio I.*

*An, quid, & quotuplex sit Ec-  
clesia?*

I. Quæstio hæc prima trimembris est. Affirma-  
tiva verò membri prioris, esse scil. Ecclesiam, id est  
cætum aliquem, ex humano genere collectum, verbum  
Dei, prophetarum v. & Apostolorum N. T. scriptis  
comprehensum, amplectentem: & Sacramentis juxta  
divinam institutionem, non hominum traditionem, u-  
tentem probatur, 1. à promissionum divinarum verita-  
te & stabilitate, *Esai. 41. v. 14. c. 59. v. 21. Jer. 31. v. 38. 40. Zo-  
phon. 3. v. 12. Matth. 16. v. 18. c. 28. v. 20. Luc. 12. v. 32.* 2. à verbi  
divini ab Ecclesiæ ministris prædicati efficacitate. *E-  
sai.*

*sai. 55. v. 11. Actor. 21. v. 10. Iob. 16. v. 19. 1. Corinth. 3. v. 9. Jaco-*  
*bob. 1. v. 23. 3. à Christi capitis & sponsi, cum corpore &*  
*sponsâ Ecclesiâ. relatione Cant. 2. 3. 4. Psal. 45. Rom. 12.*  
*v. 5. Gal. 3. v. 28. Eph. 5. v. 23. 4. Ab ovium Christi approp-*  
*riâ qualitate & indole, Joh. 10. v. 3. 4. 16. 29. 28. 5. a pre-*  
*cum Servatoris nostri semper à patre exauditarum, Io-*  
*han. 11. v. 42. Hebr. 5. v. 7. pro cœtu Ecclesiæ conservando*  
*efficacia Joh. 17. v. 6. 9. 17. 20. 21. 6. à S. Coenæ dispensa-*  
*tionis duratione 1. Cor. 11. v. 26. 7. à miraculosâ Ecclesiæ*  
*& ejus membrorum sub distinctis mundi imperijs cum*  
*conservatione, tum amplificatione, Gen. 37. v. 22. 28. 36.*  
*Exod. 14. v. 27. 2. Reg. 19. v. 35. 2. Reg. 6. v. 19. Dan. 2. vers. 47*  
*c. 3. v. 46. c. 6. v. 25. 26. 2. Corinth. 1. v. 8. 9.*

2. 8. à totius universi, cœli scil. & terræ sustenta-  
 tione. Jehova, qui verbo omnipotenti *Psal. 33. v. 6.*  
 cœlum & terram, omnemque illorum exercitum ex ni-  
 hilo creavit, *Ier. 10. v. 12.* illa in hunc usque diem conser-  
 vat, non impiorum quæ talium, ac hominum munda-  
 norum gratia conf. *Gen. 8. v. 21. 22.* Illi siquidem tot tan-  
 tisque Dei beneficijs, propriâ suâ culpâ semetipsos in-  
 dignos reddiderunt vide *Gen. 6. v. 7. c. 18. v. 21. 23.* sed u-  
 nicè ob Ecclesiam, id est gregem suum pusillum, im-  
 mensum & planè ineffabilem Dei amorem, (redem-  
 ptione generis humani ab æternis cruciatibus sese im-  
 primis exerentem, *Iob. 10. v. 15. c. 16. v. 13. c. 3. v. 16. Roman. 5.*  
*v. 8.) agnoscentem, illique eo nomine gratias devotas*  
 vide *Apoec. 5. v. 8. 9. 10.* agentem, totum hoc universum  
 potenter conservat & sustentat.

3. Et impij quamvis & prophani homines, bonis  
 mundi hujus corporalibus simul fruantur; non alio ta-  
 men sine beneficio à Deo benefico afficiuntur, nisi ut



Jehovam quærant, illumque inventum debito modo venerentur, *Actor. 14. v. 18. c. 17. v. 27. Rom. 1. v. 19. 20.* bonitas enim Dei homines ad poenitentiam invitat, *Rom. 2. v. 4.* Licet itaq; Ecclesiæ Christi navicula, varijs mundi hujus impetuosi fluctibus operiatur, adeo ut humano judicio de illa actum esse videatur; tamen Deo illam sustentante, manumq; suam auxiliatricem supponente, premitur quidem, non planè opprimitur *Psal. 46. v. 6. Matth. 8. v. 26.* sed potius palmæ instar contra onus asurgentis, sese erigit *Psal. 91. v. 13. Act. 8. v. 1. 5.* Quod tam verum est, ut imminentibus sæpius gravissimis Ecclesiæ ejusq; membris persecutionibus & periculis, Ecclesia non solum præter omnem expectationem sit conservata, sed & mirabiliter ampliata. vide *Actor. 16. v. 30. 31. c. 14. v. 21.* hinc sanguinem martyrum, Ecclesiæ seminarum fuisse affirmare possumus. Conf *Phil. 1. v. 12. 13. 14.* conferri hic posset historia non solum Ecclesiastica, sed & superioris seculi. Verum hoc labore, ad vitandam, prolixitatem, superfedere cogimur. Interim cupidum hujus rei lectorem ad Johannis Sleidani & Augustanæ Confessionis historiam remittimus.

4. Assertionem autem hac, Ecclesiam scilicet semper mansuram Bellar. minimè adstipulamur *Lib. 3. de Eccles. cap. 13.* visibilem Ecclesiam non posse deficere, asserenti. Quavis enim Ecclesia semper fuerit, & ad mundi usq; finem mansura sit; dicim⁹ tamen cum *Hurr. ex L. C. Titulo de Ecclesia Latente p. 522.* Duratio hæc definienda est, cum exceptione vicissitudinis, quoad incrementa & decrementa. Nam sicut Luna ex recessu à Sole & accessu ad solem vel augetur vel minuitur aut eclipsin sive defectum aliquem patitur; Ita Ecclesia, prout ad solem justitiæ vel pro-

propius accedit, vel longius recedit, mutationem haut parvam perſentit, id quod non tantum in particulari, ſed ipſa etiam univerſali Eccleſia, evenire ſolet. Hæc Hutter.

5. Præmiſſo Quæſtionis membro primo, an ſit hæc in terris aliqua Eccleſia, membrum ſuccedit ſecundum: quid ergo illa ſit inquirens? Ut autem rei hujus veritas, eò ſit evidentior, vocis Eccleſiæ æquivocatio ſeu ambiguitas prius enucleanda venit.

6. Eccleſia, ut vox ipſa origine Græca indicat, dicitur *ἐκκλησίαν* ab evocando. proindeque ſpecialiter ſumpta, ſignificat cum ſeparationem, vi particulæ *ἐκ* nimirum à mundo *Iob. 15. v. 19.* id eſt mundanis concupiſcentijs *Tit. 2. v. 12. 1. Pet. 4. v. 3.* & à poteſtate Sathanæ *Act. 26. v. 18.* tum collectionem ſive congregationem ad regnum Dei *Col. 1. v. 13.*

7. Vox *συναγωγή* dicitur *συναγωγή* dicta id eſt à congregando *Matth. 2. v. 4. c. 3. v. 12.* æqui pollenter aliquando ſumitur, vide *Iac. 2. v. 2. Hebr. 10. v. 25.* & verbum *συναγωγή* itidem de Eccleſia N. T. accipitur. *Matth. 13. v. 2. c. 18. v. 29. Joh. 11. v. 52. Act. 4. v. 31. c. 15. v. 6. c. 20. v. 6.* Hinc fictum illud Eccleſiæ Chriſti & Judæorum ſynagogæ diſcrimen, à Piſtorio alijsq; ejus aſſectis propugnatum ſua ſponte corruiſit vide B. Mentz. in *Antipiſtor. p. 149.*

8. Vox Eccleſiæ itaque in præſenti materia evocationem proprie notans, triplicem potiſſimum in ſcriptura ſortitur ſignificationem. Unam *latiſſimam & generaliſſimam*, ac pro quo vis hominum cœtu ſumitur, quo ſenſu quandoq; Synagoga Satanæ vocatur *Apoc. 2. v. 6. c. 3. v. 9. & קהל מרעים* concio ſive congregatio malignantium *Pſal. 26. v. 5. conf. Act. 19. v. 32. 39.*

Alte-

9. Alteram *specialiorem*, quando cœtum visibilem per verbum & Sacramenta ad Christi regnum vocatum designat. Qui cœtus plurimos habet admixtos malos & hypocritas, qui *μὲν φωνῶν* tantum habentes *ἑσθίας* vim ejus abnegant, 2. *Tim.* 3. v. 5. Deum profitentur se scire, cæterum facta professioni contraria, *Tit.* 1. v. 16. de quibus merito notum usurpamus distichon:

Sola nihil fidei præclara professio prodest,

Quam non externè, consona facta probant.

Item: Intra nulla fides, si non opera exierit extra.

10. Tertiam, eamq; *specialissimam & maxime propriam*, vox Ecclesiæ obtinet significationem, notatque juxta definitionem *Articul. 7. Aug. Conf.* positam, *congregationem Sanctorum*. Quam definitionem *Apologia* ita declarat, p. 146. Itaque Ecclesia, quæ verè est regnum Christi, est propriè congregatio sanctorum. Nam impij reguntur à Diabolo, & sunt captivi Diaboli, non reguntur Spir. Christi. Sed quid verbis opus est (pergit *Apologia*) in re manifesta? Si Ecclesia, quæ verè est regnum Christi, distinguitur à regno Diaboli, necesse est impios, cum sint in regno Diaboli, non esse Ecclesiam. Quanquam in hac vita, quia nondum revelatum est regnum Christi, sint admixti Ecclesiæ, & gerant officia in Ecclesia. Hæc Apolog.

11. Quæ verissima est sententia; quamvis enim extra vocatorum cœtum, salus æterna non sit quærenda; attamen in cœtu vocatorum esse, per se & ratione sui salutem non affert: multi namque, ut paulò ante dictum, cœtui huic mali & hypocritæ admixti sunt, qui labijs quidem seu ore Christum appellant Dominum, *E. Jac. 29. v. 12.* corde tamen eundem negant, *Jud. v. 4.* proindeque

Deque Christus eos nunquam (notitia scil. approbationis, commiserationis, & remunerationis) novit. *Matt.* 7. v. 23. Hi ergo licet sint in Ecclesia & externo coetu seu congregatione; non tamen sunt de Ecclesia, id est viva & vera Ecclesiae membra. *Joh.* 15. v. 6.

12. Quia autem solus Deus est *θεογνωστὸς* 1. *Reg.* 3. v. 40. *Act.* 1. v. 24. *Apo.* 2. v. 23. & novit qui sint sui, 2. *Tim.* 2. v. 17. proinde nostrum non est in hac vita apodicticè de veris veræ Ecclesiae membris judicare, vide 1. *Pet.* 5. v. 12. Ecclesiam ergo hac vice definiemus non ex significatione ultima, sed secunda hoc modo: Ecclesia est coetus visibilis amplectentium Evangelium Christi, & rectè utentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium Evangelij est efficax, & multos ad vitam æternam regenerat, in quo coetu tamen multi sunt non renati, sed de verâ doctrinâ consentientes conf. *Phil. Melanch. Loco de Eccles. p. 345.*

13. Cujus definitionis partes singulae, hisce Scripturae locis confirmantur. 1. Ecclesiam esse coetum amplectentium Evangelium Christi, probatur ex *Iohan.* 10. v. 27. ubi oves Christi vocem illius audire dicuntur. Et Apostoli in universum orbem ablegati *Act.* 1. v. 8. docere jubentur auditores non *ἐν τὰ λῆγὰ ἀνθρώπων*, quibus frustra Deus colitur, *Matth.* 15. v. 9. sed quaecunque Christus præcepit *Matth.* 28. v. 14. conf. *Joh.* 15. v. 14. Hinc si quis Christum diligit, sermonem illius servat *Ioh.* 14. v. 23. Et Christiani vera Ecclesiae primitivæ membra in doctrina Apostolorum perseverasse leguntur *Act.* 2. v. 42. ædificati enim sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum *Eph.* 2. v. 20. Hanc doctrinam, si quis non afferebat, ei ave non dicendū 2. *Ioh.* v. 10.

B

2. Ec-

14. 2. Ecclesiam itidem esse coetum rectè uten-  
tium sacramentis, confirmatur primò in genere, deinde  
in specie. In genere, quia sacramenta sunt verbum Dei  
visibile, quemadmodum itaq; ut ex Scripturæ dictis  
th. præced. allegatis videre est, Ecclesia ad verbum Dei  
non hominum commenta vide *Deut. 4. v. 2. c. 12. v. 8. 32.*  
*Ezech. 20. v. 18.* astricta est, ita Sacramenta juxta Christi  
institutionem, non hominum traditionem dispensat.

15. In specie Sacramento Baptismi in Ecclesia opus  
esse constat, cum Christi mandato *Matth. 28. v. 19.* tum  
Apostolorum executione *Act. 2. v. 38. c. 8. v. 16. c. 10. v. 48.*  
*c. 16. v. 15. 1. Cor. 1. v. 16. Gal. 3. v. 27.* & ipsius Baptismi ope-  
ratione. Illo enim à peccatis abluimur, *Act. 22. v. 16.* cum  
sit lavacrum regenerationis & renovationis *Tit. 3. v. 5.*  
conf. *1. Pet. 3. v. 21. Eph. 5. v. 26.*

16. Eucharistiâ quoque sive Coena Dominica in  
Ecclesia utendum esse, & quidem juxta utramque, si-  
cut Christus instituit, speciem: non clericis solum, quod  
contendit Bellar. *Libr. 4. de Sacrament. Eucharist. c. 24. 25.*  
Sed & Laicis Paulus Ecclesiæ Corinthiacæ maximam  
partem ex Laicis constantis scribens, indicat quando  
*c. 10. v. 16. τὸ πῶτος τῆς ὁλοκίας* mentionem facit, & *c. 11.*  
*v. 23.* Christi ipsius institutionem urget, qui non solum  
panem benedictum discipulis, Ecclesiam totam repræ-  
sentantibus dedit, sed & ὡσαύτως similiter (quæ vox hu-  
jus speciei eandem cum prima esse necessitatem indi-  
cat, vide *v. 26. 27. 28. 29.*) de poculo Eucharistiæ bi-  
bere iussit.

16. 3. Deum per ministerium Evangelij esse effica-  
cem, multosque ad vitam æternam regenerare, patet ex  
*1. Corin. 3. v. 5. c. 4. v. 15. c. 15. v. 1. 2. 11. Thess. 2. v. 13. Act. 21. v. 19.*  
& pas-

& passim, 4. multos quoque cœtui Ecclesiæ admixtos non renatos seu malos de verâ doctrinâ tamen consentientes, præter experientiam probat parabola, 1. aræ triticum & paleam continentis, *Matth. 3. v. 12.* 2. agri semen bonum & zizania ferentis, *c. 13. v. 48.* 3. nuptiarum hospites bonos & malos habentium, *c. 22. v. 10. 12.* 4. vitis palmites fructiferos ac steriles proferentis *Iob. 15. v. 2.*

18. Definitio hæc sigillatim quoad omnia membra ex scripturis probata, Bellarmino tamen minus probatur. Requirit enim ille inter alia *Libr. 2. de Eccles. Militante cap. 2.* ut Ecclesia colligatur sub regimine legitimorum pastorum. Et præcipuè unius Christi in terris vicarij Romani Pontificis. Cui Resp. mus breviter ad primum membrum si intelligit Bellarm. regimen Ecclesiasticum, cujus exercitium & usum clavis ligans & solvens exhibet, habet nos consentientes & ὁμολογῶμεν. Nec tale regimen definitio nostra excludit, sed potius præsupponit, verbi enim divini prædicatio, & Sacramentorum legitima dispensatio, sine hoc Pastorum regimine consistere nequit, *1. Corinth. 4. v. 21.* *2. Corinth. 13. v. 10.* *2. Tim. 4. v. 2.*

19. Quia verò Bellarm. non gubernationem Ecclesiasticam in verbi prædicatione, & Sacramentorum dispensatione, tum & clavis ligantis & solventis usu consistentem intelligit, sed monarchicum quoddam regimen Ecclesiæ ascribit *Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 9.* & *Lib. 2. cap. 12.* Ideo Bellar. Resp. mus, Christum dominatu non tyrannico solū, sed omni in genere, Apostatos eorumque successores prohibuisse, *Matth. 20. v. 25.* *Mat. 61. v. 35.* *Luc. 22. v. 25. 26.*

20. Unde Apostoli auditoribus suis nomine fidei

non dominabantur, 2. *Cor. 1. v. 24. c. 8. v. 8.* Sed potius se illorum servos appellabant, 2. *Corint. 4. v. 5.* Ipse Petrus, communi Catholicorum, ut se vocant, suffragio primus Episcopus Oecumenicus constitutus, sympresbyterum se vocans, Ecclesie presbyteros adhortatur, ne dominium exerçant adversus clericos, sed potius sint exemplaria gregis, 1. *Pet. 5. v. 1. 2. 3.* Quicquid igitur Christus severiter prohibuit, & ipsi Apostoli nunquam usurpasse leguntur, id definitioni Ecclesie inferi non debet. At regimen monarchicum Christus prohibuit & Apostoli nunquam usurpasse leguntur. Ergò.

21. Quod attinet secundum definitionis Bellarmianae membrum, de Christi in terris vicario: Resp. Scripturam talem vicarium nobis non constituisse. Nam, 1. vicarius est absentis non presentis. Christus licet visibilem & familiarem conversationem ascensione sua ad coelos nobis subtraxerit, invisibiliter tamen & majesticè vi datæ promissionis *Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 26.* conf. *Mar. 16. v. 20.* semper nobis adest, unde ipse Ecclesie suae Pastor oecumenicus, *Ezech. 34. v. 23. c. 37. v. 24.* *Johan. 10. v. 14.* Caput *Eph. 1. v. 21. Col. 1. v. 18. c. 2. v. 19.* & fundamentum unicum est, 1. *Corinth. 3. v. 11.*

22. 2. Quia Paulus *Ephes. 4. v. 11.* omnis generis ministros Ecclesie datos recensens, vicarij alicujus oecumenici non meminit. Aut igitur Pauli Catalogus in sufficientiæ arguendus, aut ejusmodi vicarius non datur. Prior assertio, ipsum Spir. S. cujus ductu Paulus locutus est, 1. *Corinth. 7. v. 20.* insufficientiæ alicujus argueret, quod sine blasphemia fieri nequit. Posterius ergo verum esse relinquatur.

23. 3. Dignitas Apostolica in Ecclesia omnium est  
sum-

summum, 1. *Cor. 12. v. 28.* Excellentia ergo vicarij à Bellarm. constituti, dignitate Apostolica aut est superior, aut eadem inferior. Non prius: Ita enim Apostoli in Ecclesia non essent primi; quod tamen affirmat Paulus. Nec posterior; natura enim vicarij repugnat, cuius post principem summa solet esse potestas. 4. Petrus ejusmodi vicarius non fuit, sed tantum sympresbyter dominatum prohibens, 1. *Pet. 5. v. 1. 2. 3.* ac reliquorum Apostolorum unà cum Iohanne legatus *Act. 8. v. 14.* legatus autem non est major eo, qui ablegat ipsum, *Iohan. 13. v. 16.* Judæi *Act. 11. v. 2.* cum Petro disceptasse leguntur; quod eos fecisse, si Apostolorum reliquorum Princeps, ac Christi in terris vicarius œcumenicus constitutus fuisset, nequaquam probabile est.

24. 5. Paulus contra Pseudoapostolos agens talem vicarium non agnoscit. Inquit enim, se nulla in re inferiore esse summis Apostolis 2. *Cor. 12. v. 11.* Si itaque Paulus nulla in re inferior fuit summis Apostolis, talem vicarium non agnovit, & nos Spiritum Pauli imitantes, ejusdem cum ipso sumus sententiæ, nisi ex Scriptura, Petri & Successorum vicariatus evidenter demonstretur. Quod equidem Bellar. tentare voluit *lib. 1. de sum. Pontif. c. 10. & seqq.* At quo successu in ipso conflictu publico *ad v. 10. & 11.* videbimus.

25. Atque hæc hæctenus de membro Quæst. Propositæ secundo dicta sunt. Tertium & ultimum sequitur. In quo ob Bellar. *Lib. 3. de Eccles. cap. 2. & 9.* alienam nobis affingentem sententiam observandum, unam tantum veram esse Ecclesiam, sicut unus est Dominus, una fides, unum Baptisma, Unum corpus, una spes vitæ æternæ, *Ephes. 4. v. 4. 5. 6.* conf. *Roman. 12. v. 5. Gal. 3. v. 28.*



Non igitur Pontificiorum solum sententia est, Ecclesiam veram tantum esse unam, non duas, ut ait idem *Bellarmin. eodem libro cap. 2.* Sed & Lutherani, ut vocantur, Scripturam præviã in eandem abeunt sententiam.

26. Unitas verò Ecclesiæ non impedit, quo minus pro diversa consideratione unius Ecclesiæ, diversus respectus distinguatur. Ecclesia ergo vera est vel *militans*, vel *triumphans*. Militans quæ in hoc mundo adversus peccatum & propriam carnem, *Gal. 5. v. 17. Rom. 7. v. 14.* mundum in malo constitutum, *1. Ioh. 5. v. 19. Jac. 4. v. 4.* & Diabolum *Ephes. 6. v. 12. 1. Pet. 5. v. 8.* sub vexillo Christi, dimicat. Triumphans, quæ cum beatis Angelis in cœlo Deum laudat, ac de superato peccato & de victa morte, &c. triumphat. *Apoc. 4. v. 4. cap. 5. v. 10. 6. 7. v. 14. 6. 14. v. 3. 4. c. 19. v. 7.*

27. Militantis Ecclesiæ facies itidem duplex est, unde usitata Ecclesiæ exurgit divisio in visibilem & invisibilem. Quæ divisio quia à *Bellar. Lib. 3. de Eccles. c. 12. 13. 15.* non solum negatur, sed & argumentis impugnatur notandum, 1. Ecclesiam considerari, vel in statu tranquillo & florido seu pacato, *Act. 9. v. 31.* extra tempus persecutionum: vel in statu persecutionis quando Ecclesia in eam redigitur obscuritatem & angustiam ut publicum ministerium nobis aliquando non innotescat, 2. æstimari eandem vel ex vocatione per verbum & sacramenta, tum etiam ratione personarum per visibile ministerium ad Ecclesiæ gremium collectarum: vel ex electione & fide in abdito in cordis recessu latente, priori consideratione Ecclesiam esse visibilem si quis negat et, ille solem in meridie radios suos emittere inficias irret. Hinc scriptura hunc Ecclesiæ respectum attendens,

dens, illam oppido in monte exstructo *Matt. 5. v. 14.* & sublimi monti *Esa. 2. v. 2. Mich. 4. v. 1. 2.* comparat.

28. Posteriori autem respectu, quando Ecclesia premitur, & vel à Tyrannis vel etiam hæreticis vim patitur: tum & quando viva Ecclesiæ membra ex fide & electione æstimata attenduntur. Ecclesia utiq; (hominibus non ipsi Deo) est invisibilis. Hinc oculatissimus propheta Elias veræ Ecclesiæ membræ ignoravit quando se solum regnante & durante idololatria Baalitica, relictum conquerebatur. *1. Reg. 19. v. 10. Rom. 11. v. 3.*

29. Et de illo Ecclesiæ statu, presso scil. & afflicto, scriptura ait: Sermonem Domini fuisse pretiosum & rarum. *1. Sam. 3. v. 1.* imò multos futuros dies in Israel absque Deo verò, & absq; Sacerdote, Doctore, & absque lege, *2. Par. 15. v. 3.* non quasi nulli piorum remanserint, *Rom. 11. v. 6.* Sed quod illustis aliquis & visibilis coetus esse desierit, vide *Ose. 3. v. 4. 2. Par. 28. v. 24.*

30. Viva quoque Ecclesiæ membra ex fide & electione considerata hominum aspectui non subjacere in proparulo est, *Rom. 7. v. 29.* Hinc *B. Hunn. Loc. de Eccles. p. 1259.* verè inquit: etsi quisque fidelium de se, nemo tamen quisquam de alijs absque omni dubitatione potest esse certus, sintne interviva Ecclesiæ membra certo connumerandi, an vero inter adulterina reiiciendi, veritatem hanc agnoscere cogitur, *Bellar. Lib. 3. de Eccles. c. 15.* inquiens: videmus coetum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille coetus sit ipsa vera Christi Ecclesia non videmus sed credimus; sed aliud est credere & aliud videre: immò ipsum credere definitur ab Apostolo argumentum non apparentium. Hæc Bellar.

31. Si quis regerat, affirmans fidem vivam semper  
opero-

operosam, nunquam otiosam, adeo ut Jacobus dicat  
*c. 2. v. 17.* fidem quæ facta non habeat mortuam esse item:  
*v. 18.* ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex factis meis. Resp. fides & bona opera semper nexu indivulso coherent, & à se invicem divelli nequaquam possunt: bona enim arbor, bonos fructus profert. Bona opera à justificatione licet Scriptura prævia *Rom. 3. v. 20. 24. 24. 28. c. 4. v. 2. 3. 5. 6. c. 11. v. 6. Gal. 2. v. 16. c. 3. v. 8. 9. 18. 22. Eph. 2. v. 7.* excludantur, in justificato tamen multis de causis necessaria, videatur disp. de Bonis operibus *Quæst. 2.* verum quia & hypocritæ faciunt opera *ωσως τὸ Ἰσραήλ* ut loquitur Christus *Matth. 6. v. 1. c. 23. v. 5.* Homines autem sibi relictis, opera illa apparenter bona à veris operibus ex fide profectis discernere nequeunt; Solius enim Dei est hypocritarum semetipsos coram hominibus justificantium, corda rimari, *Luc. 16. v. 15.* ideo iudicium ab operibus desumptum, probabile tantum est; non autem infallibile.

32. Confirmata itaque contra negantem Bellar. hac Ecclesiæ divisione, quid Ecclesia visibilis & invisibilis sit dispiciemus. Visibilis Ecclesia quid sit *Thef. 12.* hujus *Quæst.* dictum est. Invisibilis autem est coetus verè credentium & electorum in externo Ecclesiæ coetu viventium, *Aug. Confes. Artic. 7.* dicit esse congregationem sanctorum.

33. Ecclesia porro dividitur in universalem & particularem. Universalis est coetus omnium verbum Dei profitentium per totum terrarum orbem sparsus, *Matth. 16. v. 18.* particularis est coetus profitentium doctrinam in certo aliquo loco, *1. Cor. 1. v. 2. Gal. 1. v. 2. 1. Tim. 3. v. 15.*

Sub

34. Sub particulari Ecclesia comprehendendi quoque potest domestica, quæ itidem Ecclesia sive congregatio appellatur, *Rom. 16. v. 5. 1. Cor. 16. v. 19. Col. 4. v. 15.* Apostoli enim non solum publicè sed & privatim docuerunt, *Actor. 20. v. 20.* Atque tantum de Quæst. I. sequitur secunda.

Quæstio II.

**Quæ nota Ecclesia genuina & propria quibus non solum agnosci, sed & à reliquis in mundo cæteribus evidenter discerni queat?**

1. Cum Ecclesia dicente *Lobech. p. m. Disp. 10. Thes. 4.* sit dives quoddam depositarium & promptuarium optimè instructum, in quod omnium beneficiorum Christi, passionis & mortis partorum penus sit collata, non immerito inquiritur, quænam sint notæ, quibus tam nobilis cætus agnosci & à reliquis mundi hujus inmundi conventiculis distingui possit. Quæstionis hujus utilitas non solum homines in Ecclesia viventes, sed & extra Ecclesiæ pomeria constitutos concernit. Homini- bus in Ecclesiæ gremio viventibus, hunc præbet usum, ne de Ecclesiæ veritate quicquam dubitent, sed potius in conscientijs suis certissimi sint, se in illa degerere, ejusque Ecclesiæ vera & viva membra esse, cui nota Ecclesiæ propriæ competant, proindeque de salute æterna nequaquam ambigere opus habeant.

2. Extra Ecclesiam viventes hisce notis tanquam milites erectis signis Ecclesiam veram quarere & agnoscere possunt. verè namque *Dn. D. Lobech. p. m. allegata* disput. *thes. 43* ait: Christus ipse sponsus internoscendæ sponsæ suæ tesseras certas seu *notas* dedit, quæ sunt

C

sunt

sunt velut symbola militaria, quibus Ecclesia in acie  
contra hostes affantes & contra mundum ejusq; Prin-  
cipem Diabolum, sub vexillo Christi decertans & per  
patientiam adventum Christi æternamque felicitatem  
expectans à diversis agminibus, speciosum Ecclesiæ ti-  
tulum sibi arrôgantibus discernitur.

3. Notæ autem hæ Ecclesiam non solum consti-  
tuentes, sed & ab alijs in mundo cœtibus discernentes  
sunt *Evangelij prædicatio & Sacramentorum dispensatio*. Unde cum *B. Mentz. ex Art. 7. Aug. Conf. p. 298. 299.* hoc for-  
mamus Theorema: vera Ecclesia Christi est, in qua so-  
nat vox Christi, & Sacramenta ab ipso instituta legitime  
dispensantur. Quam certò enim sermo articulatus & sa-  
piens ostendit hominem, tam certò doctrina Evangelij  
arguit Ecclesiam Christianam.

4. Assertionem hanc à *Bellar. Lib. 4. de Eccles. c. 10.*  
impugnatam, hoc demonstramus syllogismo. Quic-  
quid veram Ecclesiam certò ostendit, eique soli & sem-  
per convenit, atque eam distinguit à quibusvis alijs cœ-  
tibus, & ei adæquatur, & ab illa separari non potest, il-  
lud est Ecclesiæ veræ nota propria, vera & certa. At  
qui pura Evangelij prædicatio & legitimus Baptismi &  
Sacrae Coenæ usus, juxta ipsius Christi institutionem,  
veram Ecclesiam certò ostendit, eique soli & semper  
convenit, atque eam distinguit à quibusvis alijs cœti-  
bus, & ei adæquatur, & ab illa separari non potest. Er-  
go pura Evangelij prædicatio & legitimus Baptismi &  
Sacrae Coenæ usus, juxta ipsius Christi institutionem  
est Ecclesiæ veræ nota propria, vera & certa.

5. Syllogismi hujus à *B. Mentz. Pistorio* opposi-  
ti singularum partium demonstrationem vide, si libet.

III. An-

*Antipistor. p. 127. & seqq.* Nos impræsentiarum hæc ob-  
servamus Scripturæ dicta, Ecclesiæ veræ notam indi-  
ciantia, *Iob. 3. v. 47.* qui ex Deo est, verba Dei audit, *v. 31.*  
si in sermone meo manseritis verè discipuli mei estis,  
*cap. 10. v. 27.* oves meæ vocem meam audiunt, *cap.*  
*14. v. 23.* Si quis diligit me Sermonem meum audit, *A-*  
*stor. 2. v. 42.* erant perseverantes in doctrina Apostolo-  
rum conf. *Act. 3. v. 12. Gal. 1. v. 8.* Unde talis exurgit ma-  
xima: Quicumque sermonem Christi attentè & dili-  
genter audit est discipulus & ovis Christi. Item: Qui  
coetus voci Christi debito modo auscultat, est vera  
Christi Ecclesia.

6. Notandum verò vi dictorum allegatorum si  
strictè & rigidè loqui velimus (cum verbi prædicatio  
sacramentorum usum includat; Sacramentum enim est  
verbum visibile) unam tantum esse Ecclesiæ notam, ni-  
mirum verbi prædicationem. Quia verò Ecclesia in pu-  
ritate Evangelica suo: habet gradus (quando enim pre-  
mitur Ecclesia Evangelij prædicatio simul premitur) &  
Lunæ instar sua decrenenta & incrementa habet, ita ut  
modo purior sit, modo etiam traditionum humanarum  
aliarumq; corruptelarum involucro quodammodo oc-  
cultetur: sufficit igitur vera verbi prædicatio, licet non  
adeo pura sit. Spiritus S. enim per id agit quod suum  
est; scil. per verbum residuum. Hinc pharisæi verbum  
Dei traditionibus suis mirum in modum corrumpentes  
vide *Matt. 5. v. 20. & seqq.* ita ut Christus illorum doctri-  
nam vitandam esse dicat *Matt. 16. v. 6. 12.* tamen quamdiu  
in cathedra Mosis sedebant *Matt. 23. v. 2.* id est doctri-  
nam Mosaicam proponebant *Act. 15. v. 21. c. 13. v. 15. 27.*  
veros profelytos faciebant. *Matt. 23. v. 15.* pura autem

verbi divini prædicatio & legitima Sacramentorum administratio nota est Ecclesiæ liberæ, inque flore suo constitutæ.

7. *Bellar. Lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 2.* notam hanc rejiciens ait: verbi prædicationem communissimam esse omnibus hæreticis, saltem opinione ipsorum notas autem debere esse proprias non communes. Resp. distinguendo vanam hæreticorum jactantiam, ab ipsa rei veritate, sive aliud est vendicare, & aliud jure seu legitime sibi vendicare. Jactitant quidem hæretici notas has ut hominibus eò melius imponere possint, verum falso. Quod Bellarm. ipse non diffitetur, affirmans, opinione hæreticorum has notas esse communes. Quicquid autem opinione aliorum est commune, cum sit maxime proprium, id non ἀλλήλοις sed tantum Φαινομένως commune est. Sic latro viatorem spoliare conatur, sequiturne bona viatoris non est propria? Rex Achab Nabothi vineam ad se transferbat, *1. Reg. 21. v. 16.* non tamen legitimus illius erat possessor. Similiter de hæreticis sentiendum est: Scripturæ solummodo tenent ad speciem, non autem salutem.

8. Secundò inquit Bellarm. loco allegato, notas hæc non ostendere quinam sint electi & justī, proindeque notas hæc esse illegitimas. Resp. confundere, Bellar. notam Ecclesiæ visibilis ex vocatione confideratæ, quæ est verbi prædicatio. Cum nota Ecclesiæ invisibilis ex fide & electione æstimatæ, quæ est ipsa fides, justos & electos digito quasi demonstrans, vide *Tit. 1. v. 1. Jac. 2. v. 5. Gal. 3. v. 26. Johan. 1. v. 12. 2. Thes. 2. v. 13. 1. Timoth. 1. v. 16.*

9. Tertio excipit notam hanc (prædicationem verbi)

verbi) Ecclesia' esse obscuriorem, cum sensum Scripturæ non possimus aliunde scire, nisi Ecclesiæ testimonio. Resp. I. committi à Bellarm. petitionem principij. Quod ex Professo in articulo de Scriptura, volente Deo, suo loco & tempore probabitur. Scripturæ sensus & interpretatio, non ab Ecclesiâ, sed ex ipsâ Scripturâ, Spiritus S. voce desumenda, quod hac vice hisce constat clarissimis Scripturæ locis. *Act. 8. v. 35. Luc. 24. v. 27.* Unde incidentibus dubijs Theologicis, nunquam, nunquam dico ad Ecclesiam, sed unice ad Scripturam provocatum esse lego, videantur loca, *Joh. 5. v. 39. 44. 46. Luc. 10. v. 26. c. 16. v. 29. Act. 4. v. 16. c. 16. v. 2. c. 28. v. 28. c. 26. v. 22. c. 28. v. 23.*

10. 2. Falsum igitur est, Ecclesiam sua natura clariorem (loquendo de notitia distincta & explorata, non vero confusa & obscura) Scriptura. Ex verbi enim Dei prædicatione, Ecclesia colligitur, agnoscitur, probatur, vide Acta Apostolica, quæ, quomodo & qua ratione post Christi ascensionem Ecclesia creuerit, factis indicant, *c. 2. v. 41. 42. c. 5. v. 35. c. 16. v. 13. 14. 32. c. 19. v. 10. c. 20. v. 7. c. 17. v. 34.* Unde meritò prædicationem verbi, vi dictorum allegatorum Ecclesiæ causam (efficit enim ut Ecclesia sit.) esse affirmamus: vide & expende *1. Cor. 4. v. 15. 1. Pet. 1. v. 23. Col. 1. v. 6. Rom. 1. v. 16.* causam verò naturæ suæ effecto notioerem nemo sobrius negat; licet quandoque nobis, vel sensibus nostris effectum possit esse notius.

II. Dicimus itaque enim *Witack. controv. 2 de Nor. Ecclesiæ, p. 547.* Etsi Ecclesia sensibus nostris notior sit; tamen non antea scire possumus, hunc vel illum cœtum esse veram DEI Ecclesiam, nisi prius



quid teneat, quid credat, quid profiteatur intelligamus.

12. Quartò Bellarm. ita argumentatur: veræ notæ sunt inseparabiles à vera Ecclesia. Sed Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum ad quos scribebat Paulus veræ Ecclesiæ erant, & tamen non erat ibi aliquando syncera prædicatio verbi. E. Resp. 1. dictum est supra *Thef. 6. hujus Quæst.* Ecclesiam in puritate suos habere gradus. Non igitur statim desinit alicubi esse Ecclesia, licet prædicatio non sit semper sincera & purâ. 2. Quod attinet in specie Ecclesiam Corinthiorum Resp. mus errorem illius non fuisse universalem, omnium in Ecclesia viventium, sed particularem quorundam tantum. Unde Apostolus emphatice inquit *1. Cor. 15. v. 12. | Πῶς λέγουσιν ὅτις ἐν ὑμῖν, quomodo dicunt quidam (non omnes) inter vos. Et v. 34. ἀγνωστὸν ὅτι ἔστι ὅτις ἔχουσι ignorantiam Dei quidam sibi nonnulli habent, si enim tota Ecclesia & omnia illius membra errore illo perniciosissimo fuisset infecta, quomodo Apostolus Ecclesiam Corinthiacam, tantopere commendare potuisset, *c. 1. v. 2. 5. 7. 8. &c.* Ab errore ergo quorundam in Ecclesia viventium, tota Ecclesia, & doctrina in illa sonans non est æstimanda. Negamus itaq; prædicationem verbi in Ecclesia Corinthiaca cessasse, quamvis plurimi auditorum in illa Ecclesia fuerint nævi *ut cap. 1. v. 11. c. 3. v. 3.* videre est. De quibus usurpamus tritum illud: dissonantia jejuniij, non solvit unitatem fidei.*

13. 3. Ecclesiam Galaticam quod concernit, diligens epistolæ ad Galatas consideratio haut obscure indicat, quòd sicuti ad tempus syncera Evangelij prædicatio publicè desijt publicam quoque Ecclesiam (loquen-

quando enim de singulis Ecclesiæ illius individuis non omnes defecisse omnino probabile est, conf. *Roman. 11. v. 4. 5.*) cessasse. Hinc Apostolus in viam eos revocans scribit, quod relicto Christo aliud Evangelium amplexi sint *c. 1. v. 6. 7.* & veritati non crediderint, *c. 3. v. 1.* adeo ut generatione spirituali opus habuerint, *c. 4. v. 19.* Unde talis formari potest syllogismus: Quæ Ecclesia relicto Christo, aliud Evangelium amplectitur, & veritati non credit imo generatione spirituali opus habet. Illa utique ratione publici ministerij defecit. At prius est verum. Ergo.

14. Facta itaque notæ Ecclesiæ separatione ipsum notatum (Ecclesia) quoque cessavit. Quod Bellarm. sententiæ non patrocinator, sed argumentum potius pro sententiâ nostrâ inde formamus tale: si deficere à vera fide est nota falsæ Ecclesiæ Ergo perseverare in vera fide eamq; retinere est nota veræ Ecclesiæ. Quod intelligentes pij reges Ecclesiam collapsam redintegrare volentes ad amissam scripturæ eam revocarunt. *2. Reg. 23. v. 2. Neb. 8. v. 5.* videantur Acta concilij Nicæni apud Theodorotum *lib. 1. cap. 7.*

15. Positis ergo & confirmatis veræ Ecclesiæ notis brevissimè Bellar. notas contemplabimur quidq; in ijs desideremus paucissimis exponemus. Ne autem disputatio hæc nimis excrescat, quinq; priores hac vice solum considerabimus, reliquas futuræ reservantes disputationi.

16. Prima illius nota est ipsum Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum nomen Resp. 1. ex solo nomine, & quidem à *ἁγάφῃ* non probari rei veritatem. Nam vocari & esse non sunt unum & idem. Res certæ sunt nomina vero. in-

no incerta & voluntaria. Unde multæ appellationes falso rebus sunt impositæ. Non ergò sequitur, ille vocatur catholicus. Ergo est talis. Abschalom, notat virum pacis, qui tamen si rem ipsam spectamus insignis pacis turbator extitit. 2. *Sam. 15. v. 3. 4.* Simon Magus virtus Dei appellatur *Act. 8. v. 10.* qui virtute Diaboli miracula (hominum opinione) edebat. Pseudo propheta aliquis dicitur Bariesu *Act. 13. v. 6.* qui Diaboli fuit filius. *conf. Act. 12. v. 22. 2. cor. 11. v. 13. Apoc. 2. v. 2. 9.* Accedit quod Ecclesia V. T. ante Christum nunquam dicta fuerit Catholica. Quæ tamen veræ Ecclesiæ titulo gavisæ est. Nota ergò hæc cum Ecclesia non cœpit proinde illegitima est. Nota enim propria & essentialis rei notatæ semper adest.

17. 2. Si vero Bellar. cum socijs nomen rei junctum intelligit, ac nomen Catholicum de universali seu Catholico doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ consensu accipit, tum nota Bellarmiana prima, cum nostra concidit. Verbum enim Dei, quod notam Ecclesiæ esse diximus hoc pacto non excluditur sed necessario præsupponitur. Nam verè Catholicus est, qui non hominum commenta & figmenta sequitur, sed universam prophetarum & Apostolorum doctrinam amplectitur.

18. At inquit Bellar. nos nomen accipere ab aliquo homine, & vocari vel Martinistas vel Lutheranos. Resp. 1. Bellarmine, id si peccatum est, cur Monachi ab Augustino, Bernhardo, Francisco, Dominico &c. Augustiniani Bernhardini, Franciscani, Dominicani &c. vocantur! Si vero omnes illi, ab auctoribus regularum suarum desumentes nomina, rectè nihilominus sententia Bellar. vocari possunt catholici. cur non & nos similiter, à Luthero Lutherani? Non enim invicem pugnant,

gnant, aut sese elidunt, dici Catholicum ob Universalem  
scil. cum Scripturis Prophetis & Apostolicis harmo-  
niam & convenientiam. Et Lutheranum ob primum in  
Germania reformationis. ministrum & antiquæ fidei  
assertorem & Ecclesiarum strenuum & imperterritum  
repurgatorem. Non enim vel Lutherani dicimur, vel  
ab eodem denominari nos patimur, quasi Lutheri, ut  
Lutheri dogmata & commenta sequamur & defendamus.  
Cum Lutherus nequaquam novæ doctrinæ au-  
ctor & inventor, sed antiquæ religionis Apostolicæ se-  
dulus restaurator fuerit. Quod collatio doctrinæ Lu-  
theri & Sacræ Scripturæ (ad cujus lectionem & ipsi  
Laici admittendi sunt, ut cum Thessalonicensibus *A-*  
*ctor. 17. v. 11.* num hæc jam dicta ita sese habeant ipsi per-  
spiciant, & spiritus, num ex Deo sint, probent, *1. Joh. 4.*  
*v. 1.* Et ita probatos Pseudopphetas caveant, *Matth.*  
*7. v. 15.*) ad oculum demonstrat. In qua collatione &  
harmonico consensu fidei nostræ *καθολικῆς* colloca-  
mus, certo scientes Lutherum in ipsis dogmatis & fidei  
articulis proponendis Spiritus S. ductum & filium, uni-  
cè inquam secutum esse. Quod inductione si opus ef-  
set, nos cum Deo probaturos confidimus. videatur *An-*  
*ri Lessus D. Meisn. p. 365.*

19. Gratae brevitatis causa ex *Antipistor. Dn. Mentz.*  
*p. 165.* hanc repetimus *ἀπόδειξις*. Quæcunq; Ecclesia u-  
nicè amplectitur integram & sinceram doctrinam pro-  
pheticam & Apostolicam sacris literis comprehensam,  
& legitimè administrat Baptismum & Cœnam Domini-  
cam, secundum ipsius Christi institutionem, ea est vera  
illa & Apostolica Ecclesia. Lutherana Ecclesia unicè  
amplectitur integram & sinceram doctrinam Prophe-  
ticam

D

ricam & Apostolicam sacris literis comprehensam ; & legitime administret Baptismum & Coenam Dominicam, secundum ipsius Christi institutionem. Ergo Lutherana Ecclesia est vera illa Apostolica Ecclesia. Et tantum de prima Bellarm. nota.

20. Secundam quam Bellarm. Ecclesiae constituit notam, est antiquitas. Resp. 1. Notam hanc non esse perpetuam sed separabilem. Ecclesia enim primum incipiens non fuit antiqua sed nova. Recognoscat ergo Bellarm. verba sua, *Lib. 4. de Not. Eccles. cap. 2.* dicens: verae notae sunt inseparabiles à vera Ecclesia. Subsumo: hac nota est separabilis. Ergo non est vera nota. 2. Si nuda temporis antiquitas intelligatur, notam hanc esse communem non solum alijs seclis, utpote gentilismo, Iudaismo, Mahometismo. De Iudaismo vide *Matth. 5. v. 21. 27. 33.* & gentilismo *1. Pet. 4. v. 3.* Sed & ipsi Diabolo, qui serpens antiquus appellatur *Apoc. 12. v. 9. 3.* de antiquitate ergo judicandum est non abstractè & nude, sed concretè, ut simul doctrinam sanam omnium antiquissimam includat. Atque sic Antiquitatem cum vera fide & sana doctrinà conjunctam Ecclesiae notam esse perlibenter largimur. Quicquid enim cum vera doctrina Prophetica & Apostolica concordat, antiquum est, licet huic vel illi videatur novum conf. *Mar. 1. v. 27. Act. 17. v. 19.* Ab hac quicquid deviat & defleat novum est, licet multis retro seculis receptum fuerit; temporis namque duratio errori nequaquam patrocinetur. Unde Germani rectè dicunt: *Tausent Jahr vnrecht / ist kein Jahr recht.*

21. Confirmat autem Bellar. assertum suum Antiquitatem scil. Ecclesiae verae notam esse; quia, inquit,  
vera

vera Ecclesia antiquior, quam falsa, quemadmodum  
Deus ante fuit, quam esset Diabolus. Resp. ratio hæc  
Bellar. procedit quidem de Ecclesia universali, non au-  
tem particulari, v. g. in Ecclesia Corinthiaca Gentilif-  
mus Christianismo antiquior, *1. Corinth. 12. v. 23.* num pro-  
pterea Ecclesiæ nota dicendus? quod tam abest, ut po-  
tius cum vera Ecclesia, tanquam Satanæ regimen pu-  
gnet vide *Rom. 1. v. 21. & seqq. Ephes. 4. v. 17. 18. 19* quia itaq;  
medius terminus Bellar. Ecclesijs particularibus (talem  
enim notam Ecclesiæ requirimus, quæ omni Ecclesiæ  
semper tribui potest) applicari nequit, hinc eundem  
vacillare concludimus.

22. Quæ insuper Bellar. de nova Lutheri Doctrina  
inspergit, illa præterquam quod petitionem principij  
continent, conf. *ch. 19.* hujus Quæst: distinctione inter  
novitatem duplicem: veram scil. & apparentem facile  
diluui possunt. Quoniam enim Lutheri dogmata non a-  
lia nec diversa sunt, ut *Thef. 18.* dictum, quam quæ Spiritus  
S. in codice sacro per Prophetarum & Apostolorum  
scripta nobis revelavit, inde evidenter liquet, non  
novam Lutherum proposuisse doctrinam, sed antiquã  
illam Propheticam & Apostolicam veritatem, errorum  
tenebris ante sua tempora involutam, & traditionum  
humanarum cœno contaminatam repurgasse, & à Sco-  
rijs adhærentibus verbi divini aurum liberasse, idque  
juxta Dei mandatum, *Ierem. 15. v. 19.*

23. At excipit Bellarm. Si ante Lutherum facta  
discessio à vera doctrina nominandus est, 1. auctor hu-  
jus defectionis, 2. dogma aliquod novum. 3. tempus  
quo coepit. 4. locus ubi coepit, &c. Resp. discernendo  
mutationem religionis lentam & successivam, à subita-

nea. In mutatione successiva & lenta, non possunt illa à Bellarm. requisita, ostendi. Quod vel à Solo Pharisæismo constat, quem pluribus obnoxium fuisse erroribus satis gravibus fundamentum religionis Christianæ evertentibus Christus hinc inde satis manifestè indicat, vide inter alia. *Matth. 5, v. 20. c. 23. v. 13.* At dicat mihi Bellarm. auctorem, tempus, locum? non potest.

24. Mutatio talis lenta & successiva, morbo occulto similis est, cujus initium, causa, tempus, locus, ostendi nequeunt, quis ex harum circumstantiarum ignorantia morbum ipsum præsentem, hominemque excruciantem, negaret? Dispar longè ratio est mutationis religionis subitanæ, in qua omnia illa à Bellar. recensita inveniri facile possunt. Quod exemplis, Arrij, Nestorij, &c. Bellar. rectè probat. Ipsa dogmata quod attinet, illa num nova sint ex Scripturarum collatione patet. Quæ enim doctrina Sacrarum literarum monumentis non continetur; illam novam esse apparet. At multa ante Lutherum dogmata Sacrarum literarum monumentis non continentur. Ergò. Minorem. de Invocatione Sanctorum concedit, *Eckius in Enchirid. p. 156.* ita inquit: Explicite non est præcepta Sanctorum invocatio in Sacris literis. Non in V. T. ubi populus alioquin erat propensus in idololatriam: & patres erant in Lympo nondum beati. Sub Evangelio etiam non fuit præceptum, ne gentiles conversi crederent se iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more Sanctos, non ad Patronos sed ut Deos adorassent. Porro si Apostoli & Evangelistæ docuissent sanctos venerandos arrogantiae datum eis esset; ac si ipsi post mortem gloriam illam quærivissent. Hæc Eckius.

Ter-

25. Tertia. Bellar. Ecclesiæ nota est duratio diuturna, nec unquam interrupta. Resp. Durationem, diuturnam, nunquam interruptam Ecclesiæ notam propriam & inseparabilem non esse patet, 1. quia multis particularibus Ecclesijs non potest tribui. v. g. Ecclesiæ Corinthiæ, Galaticæ, Antiochenæ, quæ suo tempore veræ erant Ecclesiæ, licet duratio talis diuturna nunquam interrupta assignari illis nequeat. 2. duratio diuturna Iudæismo, paganismo & Mahometismo quoque competit, quomodo itaque Ecclesiæ nota, illam à Paganis, Judæis & Turcis distinguens esse potest? 3. Satanæ semper habet, semperq; habebit, Ecclesiam aliquam hæreticam, vide *Matth. 18. v. 7.* *1. Cor. 11. v. 19.* licet hæc vel illa hæresis non sit diuturna, duratio itaq; diuturna Ecclesiæ hæreticæ in genere loquendo competit. Non ergò Ecclesiæ veræ nota propria & inseparabilis esse potest. Quamvis itaque Ecclesiam (non hanc vel illam particularem visibilem) Catholicam supra petram, Christum scil. fundatam *Matth. 16. v. 18.* ad finem usque mundi duraturam (non in hoc vel illo loco in una aliqua certa sede) non diffiteamur. Durationem tamen, utpote non soli Ecclesiæ, nec etiam particularibus cœtibus convenientem insuper etiam synagogæ Satanæ & malignantium gregi competentem, notam Ecclesiæ genuinam & propriam esse inficiamur.

26. Quod attinet probationem Bellar. pro hac nota astruenda ex *2. Tim. 3. v. 9.* ubi de hæreticis dicitur: non proficient amplius. Resp. loci hujus sensus non est, nullam hæresin diu duraturam. Contrarium enim Arianismus arguit, qui non solum in Ebione & Cerintho Apostolorum tempore viguit, sed hodiernum in Phot-



nianis vivit & viget & durat. Indicat autem Apostolus, quod ex textus *ovva pēia* evidenter colligere est. Ecclesiæ ministros officio demandato fideliter fungentes hæreticorum conatus impedituros, ut quantum velit, non proficiant. Hunc sensum *v. 10. 14.* satis indicant. Quando enim inquit Paulus, *v. 9.* hæretici non Proficient, addit rationem, *v. 10. 14.* quia assecutus es doctrinam meam, in qua debes persistere, & obloquentibus os obrurare, *Tit. 1. v. 11.* Hæc de tertia Bellar. nota dicta sufficiant.

27. Quarta nota quam Bellar. Ecclesiæ attribuit, est amplitudo sive multitudo & varietas credentium. Ecclesia enim Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera. Resp. 1. amplitudo ab Ecclesia Separari potest; in principio enim Ecclesia non fuit ampla lateque diffusa. Quod Bellarm. *lib. 4. de Eccles. c. 5.* concedit, quando Ecclesiam sub initium exiguum fuisse cœtum ait. 2. Nec in fine mundi amplam, longè lateque diffusam (licet hinc inde sparsam) fore Ecclesiam, Christus ipse indicat *Luc. 18. v. 8.* unde per arctam portam ingredientiæ pauci sunt. Lata vero & spaciofa via ad exitum ducente incedentes multi, *Matth. 7. v. 13. 14.* Et pusillus est grex Ecclesiæ, *Luc. 12. v. 32.* non enim multi sapientes secundum carnem, sed quæ imbecillia erant in mundo delegit Deus, *1. Corint. 1. v. 27.* & perseveranter credentium numerus exiguus est, *Matth. 22. vers. 14.* 3. Si amplitudo præcisè spectanda Ecclesiæ, Synagoga Satanæ longè amplior. Unde Diabolus, quia ab impijs pro Deo habetur, illorumque mentes suo nutui accomodat, *2. Tim. 2. v. 26.* Deus hujus seculi, *2. Corint. 4. v. 4.* & princeps mundi, *Joan. 14. v. 29.* appellatur.

Bel-

28. Bellarm. Scripturæ loca pro nota hac confir-  
manda, nihil aliud concludunt, quàm N. T. Ecclesiam  
exiguam Judææ finibus ratione externi cultus haut esse  
includendam, sed simul extra Judææ terminos dilatan-  
dam, inque toto terrarum orbe propagandam, quo de  
successu Acta Apostolica & Epistola Paulinæ testimo-  
nium perhibent, vide *Act. 5. v. 14. c. 12. v. 46. 48. 49. c. 14. v. 27.*  
*c. 17. v. 11. c. 18. v. 10. c. 19. v. 10. 20. Col. 1. v. 6. 23.* Quæ autem  
consequentia: Ecclesia aliquando lata & ampla. Ergo  
amplitudo erit nota propria & essentialis Ecclesiæ. Qua-  
si vero Ecclesia Apostolica primum nata, non fuerit ve-  
ra Ecclesia sine hac nota. Concludimus itaque cum B.  
Mentz. ex *Antipistor. p. 146.* Latitudo & multitudo non  
convenit Soli Ecclesiæ, neque semper (ut jam nascen-  
ti) neque semper eodem modo. Jam enim latius pa-  
tet, jam in angustiores terminos coarctatur. Hæc  
Mentzer.

29. Antequam hinc abeamus, unum adhuc libet  
ex Bellarm. considerare. In probatione hujus notæ in-  
quit Bellarminus: Hæreses Lutheranorum nunquam  
transierunt mare, nec Asiam, aut Africam, Ægyptum  
viderunt. Ex quo intelligimus, illustre esse mendacium  
quod habetur in principio præfationis concordiæ Lu-  
theranorum Anno 1580. editæ, dicunt enim confessio-  
nem Augustanam in toto orbe terrarum percrebuisse  
& in ore & sermone omnium esse cœpisse. Hæc Bel-  
larm. Quæ, quomodo cum præfatione *Tom. 1. & 4.* præ-  
missa convenient, libentissime scirem, præfatione *To-  
mo 1.* inquit: Quis ignorat pestem Lutheranam in Sa-  
xonia paulo ante exortam mox Germaniam pene to-  
tam occupasse; inde ad Aquilonem & orientem pro-  
fectam

sectam: Daniam, Norwegiam, Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumpsisse: tum ad occidentem & meridiem pari celeritate, delatam & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna brevi tempore populatam: ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usque penetrasse. Præfat. Tom. 4. in eandem sententiam ait: Secta Lutheranorum non contenta occiduis & aquilonaribus regnis ad orientem quoque & Meridem, ad Græcos & Indos ad ipsum novum orbem navigare ausa est. Has duas Bellarm. assertiones non in speciem solum, sed verè contrarias imo cantradictorias, si quis conciliaverit, illi Diva parens generis, quoque Dardanus auctor.

30. Quinta Bellarm. nota est successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos. Resp. distinguendo successionem localem & personalem, à successione fidei & doctrine. Prior successio ita nude considerata veræ Ecclesiæ nota non est. Nam 1. vera fuit Ecclesia antequam esset successio Episcoporum, v. g. Ecclesia Antiqua, nem: Ecclesia, cujus Christus auctor & Magister, & in qua ipsi Apostoli instituti sunt caruit successione (Christus enim non è Tribu Levi Apostolos elegit, sed ex ipsa plebe & populi ferè fece Apostolos constituit) & tamen vera fuit Ecclesia. 2. Synagoga Judaica tempore Christi legitima gaudebat Sacerdotum successione. Num propterea vera illa fuit Christi Ecclesia? Si quis vult fuisse dixerit, quæro, quomodo vera Christi Ecclesia Christum ejusque doctrinam damnet, vide *Joh. 7. v. 84.*  
*49. c. 9. v. 22. c. 18. v. 29.*

31. 3. Successio Sacerdotum & Episcoporum à doctrinæ

ctrinæ & fidei veræ successione divelli & separari potest. Hinc Scriptura sacra Sacerdotes quâ successio-  
nem localem legitimos valde increpat, eosque idolo-  
latriæ accusat, *Ter. 2. v. 8. Matth. 16. v. 6. 12.* 4. Successio Sa-  
cerdotum localis aliquando manente vera Ecclesia,  
non mansit interrupta, *2. Paralip. 15. vers. 3. 2. Para-  
lip. 28. v. 24. 25.*

32. Fide autem & doctrinæ successio-  
nem (doctrina enim successio-  
nis veræ quasi anima est, illa enim  
remota nuda localis successio est inutile quoddam  
cadaver.) Ecclesiæ notam esse concedimus, immò in  
notarum nostrarum assertione ursumus. Doctrina e-  
nim vera Ecclesiam constituit, eamque à reliquis mun-  
danis conventiculis distinguit. Quamvis itaque in Ec-  
clesia V. T. Successio illa localis simul fuerit necessa-  
ria, Sacerdotes enim Aaronici ex una sede & loco ex  
una tribu & familia electi sunt, ministrorum tamen N.  
T. dispar longè ratio est, illi enim non ex uno homi-  
num genere, sed varijs hominum generibus consti-  
tuuntur. Sufficit ergo in N. T. successio doctrinalis,  
quæ successio-  
nis legitimæ principalis ratio est.

33. Regerit autem Bellar. Ecclesiam esse non posse  
sine Pastoribus & Episcopis. Undè argumentum sumit  
insolubile, ut appellat, hoc modo colligens: Ecclesia  
est sine Episcopis. Apud Lutheranos non sunt  
Episcopi, nam non habent ordinationem nec succes-  
sionem ab Apostolis. Ergo apud eos non est Ecclesia.  
Resp. Si major intelligatur de Episcopis sensu Scriptu-  
ræ, vide *1. Tim. 3. v. 1. Act. 20. v. 28.* id est Pastoribus ver-  
bum Dei prædicantibus, *Ephes. 4. v. 11.* majorem admit-  
timus. Ad minorem autem Resp. mus per simplicem  
E inficia-

inficiationem. Nam Luth. ab adversarijs nostris ordinatus est presbyter. Habuit ergo ille ordinationem quam calculo suo & suffragio approbant Pontificij.

34. Si excipiant dicentes Lutherum equidem presbyterum fuisse, sed non Episcopum. Resp. Scripturam distinctionem illam presbyterorum & Episcoporum non agnoscere, sed potius, quos modo presbyteros appellavit, paulò post Episcopi nomine indigitare, vide *Act. 20. v. 16. & 28. Tit. 1. v. 5. & 7. 1. Pet. 5. v. 1.* Unde ipse Bellarm. *lib. 1. de cleric. cap. 4. §. facilius* inquit: Apostolorum tempore nomina illa, Episcopus & presbyter communia fuisse omnibus Sacerdotibus. Quia itaq; ex Romanæ Ecclesiæ constitutione Lutherus fuit presbyter, jure divino fuit quoque Episcopus. Quicquid ergo ad Episcopos pertinebat Luthero denegari nequit. Quod enim postea Episcopi presbyteris prælati non divina ordinatione sed tantum humana constitutione, ad tollenda schismata, factum est.

35. Excipit Bellarm. Luth. à tribus Episcopis non esse ordinatum, nec ex dispensatione ab uno, assistentibus Abbatibus. Resp. ordinationem à tribus Episcopis factam vel ab uno assistentibus Abbatibus, necessariam quidem fuisse Sanctione Ecclesiastica, non autem necessitate absoluta. Scriptura enim sacra ordinationis ministrorum Ecclesiæ mentionem faciens ne verbulo quidem rei hujus meminit, vide *Act. 14. v. 23. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. Tit. 1. v. 5.* Constitutio itaque illa Ecclesiastica, quæ in Ecclesia florente, & nitorem suum obtinente locum habuit, in Ecclesia collapsa & erroribus varijs immersa, non fuit necessaria. Tempore vigentis Arrianismi, numne Ecclesiæ  
mini-

ministri à tribus Episcopis necessario ordinandi erant.  
Sufficit igitur ut ab Ecclesia vocati, ab eadem ritu &  
modo in Scriptura expresso ordinentur.

36. Concludimus itaque Lutherum legitimè vo-  
catum & ordinatum, potuisse alios itidem legitimè ab  
Ecclesia vocatos, juxta Scripturæ ritum ordinare,  
proindeque apud nos, quos Lutheranos appellant,  
veros esse Episcopos & Pastores successione doctrinæ  
& fidei Apostolicos, qui non sua placita & dogmata,  
sed Spirit. S. oracula proponunt.

37. Reliquum nunc esset, alijs Bellarm. notis ma-  
num admovere easque aliquantò altius considerare,  
verum ne disputatio hæc prolixitate sua tædium creet,  
notarum illarum considerationem commodiori refer-  
vamus tempori. Deo interim gratias agentes maxi-  
mas, quod nos in ipso Ecclesiæ gremio nasci voluit.  
Hunc Patrem misericordiarum, 2. Corinth. 1. v. 3. cali-  
dissimis votis obsecramus, ut Spiritu suo Sancto nos  
regat, quo non solum membrorum Ecclesiæ nomen  
& titulum geramus, sed vera & viva veræ Ecclesiæ  
membra reipsa simus, ita, ut qui Ecclesiam in hisce  
terris habuimus matrem: in coelis Deum habeamus  
patrem, cui laus, honor & gloria in secula seculo-  
rum, Amen.

Triga *περοθητων.*

I.

*Ut quis vivum Ecclesiæ sit membrum, non satis est con-  
siones frequentare, verbum audire & Eucharistiâ crebro uti.*

*Tene-*

Tenemur enim effectores esse sermonis, non auditores solum  
Matt. 7. v. 24. Luc. II. v. 23. Iac. 2. v. 22.


II.

Quamvis verò Christianismus noster, non in ore solum &  
lingua, sed corde imprimis resideat, bonorumq; operum studium  
ac pietatem sinceram (confer Apol. Aug. confess. p. 71. 82.  
86.) flagitet. Hinc tamen B. O. Iustificationis circulum in-  
gredi non rectè inferitur. In vivo Ecclesie membro B. O. neces-  
saria esse concedimus imo urgemus, ad justificationem vero ho-  
minis peccatoris coram Deo eadem concurrere cum scriptu-  
rà negamus.

III.


Quia itaq; in vivis Ecclesie membris varia pietatis exerci-  
tia: utpote veræ fidei testimonia summopere requirimus & com-  
mendamus. Bellarminum Libr. 4. de Iustificat. cap. 1. ex re-  
ligionis nostræ principijs B. O. studium remorari nos asseren-  
tem, grandem nobis impingere injuriam, concludimus.

Gloria sit Soli, qui regit  
astra Deo.









ministri à tribus Episcopis necessario ord  
Sufficit igitur ut ab Ecclesia vocati, ab e  
modo in Scriptura expresso ordinentur.

36. Concludimus itaque Lutherum  
catum & ordinatum, potuisse alios itidem  
Ecclesia vocatos, juxta Scripturæ ritum  
proindeque apud nos, quos Lutherano  
veros esse Episcopos & Pastores successio  
& fidei Apostolicos, qui non sua placita  
sed Spirit. S. oracula proponunt.

37. Reliquum nunc esset, alijs Bellar  
num admovere easque aliquantò altius  
verum ne disputatio hæc prolixitate sua t  
notarum illarum considerationem comm  
vamus tempori. Deo interim gratias ag  
mas, quod nos in ipso Ecclesiæ gremio  
Hunc Patrem misericordiarum, 2. Corin  
dissimis votis obsecramus, ut Spiritu suo  
regat, quo non solum membrorum Ecc  
& titulum geramus, sed vera & viva v  
membra re ipsa simus, ita, ut qui Ecclesi  
terris habuimus matrem: in cœlis Deur  
patrem, cui laus, honor & gloria in se  
cum, Amen.

Triga περὸ γῆραν.

K.

*Ut qui vivum Ecclesiæ sit membrum, nos  
siones frequentare, verbum audire & Eucharist*

